

Bibliothèque numérique

medic@

**Loustaunau, Jean-Baptiste - candidat
/ Andouillé, Jean-Baptiste-Antoine -
président. - [De contusionibus]**

1753.

***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°33



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0033](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0033)



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



UÆ à Causis externis corporis partes violentèr lædentibus oriuntur mala, ea ferè omnia à vasorum & textûs cellulosi læsâ fabricâ pendere, & in contusionibus potissimùm sævire constat; ex quibus ab humorum in textûs cellularis anfractibus effusorum congerie, multorum accidentium soboles.

TEXTUM cellulosum constituunt minimæ fibræ necnon laminulæ majores vel minores, planæ, solidæ, inter se connexæ, omni modo dispositæ, sibi diversimodè occurrentes, variasque efformantæ.



areolas, quarum intervalla undique aperta & mutuò communicantia probant lanionum insufflatio, emphysema, leucophlegmatia.

IN omni corporis habitu non una eademque hujusce textus quantitas & crassities. Hic laxior, fibris laminisque longioribus conflatus, majores, illic gracilior & rarior fibrisque minoribus constans; angustiores dat cellulas; hæ humoris oleosi & aquosi irrorantur halitu, illas humor pinguis crassior replet, adipem vocant.

VARIAS hæce cellulas trajiciunt innumeri nervi, perreptantque plurima vasa lymphatica & sanguifera, è quorum finibus arteriosis, ut probant injectiones tenuissimæ, exsudat humor venosis oculis reforbendus.

NULLAM corporis partem celluloso carere textu demonstrat inspectio Anatomica quocunque enim dissecando conferas oculos, sese offert; non tantum infra cutem conspiciendus, corporis penetrat cava, inter fibras cujuscumque generis membranaceas, nervosas, ligamentosas, musculosas, osseas, inter ipsamet viscera expanditur, vasis minimis Vaginulas suppeditat, ubique vinculi vices adimplet; ab eo denique maximam corporis partem effici, vero propinquum.

IN unâquâque ætate hujus textus non eadem apparet quantitas; in puerili ætate major, minor evadit prout senilis progreditur ætas; nec mirum: quò magis crescunt partes, quò solidiores, eò magis textus cellularis concrefcit, hinc fibrarum laxitas aut rigiditas; hinc textu celluloso suppuratione destructo, partibus sibi accretis, motus difficultas, abolitio.

Ex fabricâ, necnon ex humore contento, textus cellularis deducendi sunt usus. Varias constituens areolas ratione figuræ, & latitudinis, partibus connectendis, firmandis, movendis, conformandis, idoneus; Humore pingui & oleoso scatens, motum expedit, attritum minuit, partes lubricat, à rigiditate tuetur, tenfas, molles, elasticas efficit, reforbtus humoribus permiscetur usus alios præstiturus. Epulis, somno, quietè augetur pinguedo, congestaque nocet; inedvâ, motu, vigiliâ, curis animi, febre, morbove quolibet facillè minuenda.

EX CHIRURGIA.

CUM corpus motum in corpus quietum incidit, tum pro mole suâ & quâ velocitate impellitur, huic plus minusvè impulsionis suæ, juxtâ utriusque molem & configurationem communicatur: quò magis ergo vel minùs obfistat corpus, eò major aut minor erit commotio, elaterii imminutio, atque ipsamet partium ruptura: ex hac generali motûs lege totus sequitur contusionum effectus; contusio enim est quæcumque læsio per instrumenta dura & obtusa corpori nostro inflicta, sive ipsi motum impingant, sive ipsum corpus motum ab altero quiescente collidatur, prematur aut conteratur.

DUPLEX contusionis status, vel vasa non fuerunt lacerata, sed compressa & ità commota, ut vi suâ elasticâ priverentur & liquores in illorum cavitatibus, vitali eorum fabricâ destructâ, hæreant & stagent, ibique commoratione putridi evadant; aut liquores, vasis disruptis, hinc & illinc effunduntur & vicinas partes labefaciunt, tuncquè hanc contusionis speciem vulnenum minutissimorum congeriem non immeritò asserunt autores.

QUOT & quanta ex contusionibus nascantur symptomata jam patet; earum autem numquàm frequentius, nec gravius fuit periculum, quàm ex quo humanâ industriâ, pulvis pyrius hominibus adeò exitiosus, tam horrendas edidit strages: & quia globuli è tormentis aut sclopetis emissi miras infligunt contusiones, eas peculiaritèr perpendemus.

QUÆ sit pulveris tormentarii actio neminem latet, ejus quantitas & compressio, instrumentorum ab eo adaكتورum moles & figura, distantia quam percurrunt, diversas ratione partium percussarum resistantiæ contusionum species constituunt; undè quædam leviores, aliæ graviore, lethales aliæ.

FACILLIME decipietur qui primo intuitu partis collisæ, de naturâ contusionis judicium inexpertus feret; contusiones enim quæ levissimæ haberentur maxima inducunt pericula, dùm quædam & latiores & profundiores paucis stipentur symptomatis nec ægrè curantur.

PERSTRICTA tantum cute, imò integrâ nec deturpatâ, partes subjacentes altissimè & minutatim concidi, penitusque destrui, ossa ipsa periosteo denudari, sæpè diffringi, gangrænâ & mortem citissimè invadere non mirum. Cutis tenax non tam facilè à globulis rumpitur, leviter perstricta intropellitur & partes huic suppositæ teneriores colliduntur : ab impulsu globuli aër externus quandoquæ tales concipit vires, ut per se maximas infligere valeat contusiones ; adde quòd aëris interni partes, temporis puncto per viciniorem globuli transitum vehementissimè compressæ, vi haud inæquali erumpentes, vasa perfringant, textumque cellulofum irrepant ; undè subitum Emphysema, harumce contusionum signum certissimum, à gravioribus per alia instrumenta illatis contusionibus non excludendum.

ULTRA partem percussam extenduntur contusionis effectus : contutiantur partes vicinæ, vasorum, nervorum & textûs cellulosi perturbantur series & ordo : medullam ossibus reconditam, læsam, viscera ab agentibus externis tutissima, cerebrum, pulmones, hepar & alia viscera abdomine contenta, collisa, fissa, penitus soluta & attrita, ferèque ad pulvem comminuta, cava liquoribus effusis turgida docent quam plurimæ observationes & comprobant in obsidionibus potissimum, praxis Chirurgica.

CONTUSIONUM in genere non intricata diagnosi : sub cute humores effusi telam cellularem replent & distendunt, undè tumor partis affectæ & mutatio coloris in rubrum, plumbeum, lividum, nigrum, prout cruoris major aut minor copia hæret & diutius commoratur : absente tumore, renitentia quædam cum strepitu & obscura fluctuatio contusionem profundam designant : intricatissima verò signa quæ naturam & gradum contusionis, varique partium contusarum pathemata indicant ; sua enim sunt cuique partilæse propria, quæ ab accidentibus deducuntur, & hæc accidentia plus minusve ingravescent ratione instrumentorum velocitatis & molis, de quibus judicium difficile.

OSSIUM contusionem periostei compressio, laceratio, lamellarum ossis intropressio, fractura, vasorum attritus, liquorum os inter & periosteum aut intrâ ossis lamellas effusio, medullæ ipsius læsio, comitantur, undè inflammationes, suppurationes eò magis metuendæ quòd diù marescunt & putrescunt effusæ, & quòd oleum medullare putredinem pessimam acquireret, quæ substantiam ossis proserpendo carie depascet.

A musculis contusis dolores, spasmi, inflammationes, suppurationes quæ textus cellularis anfractus citissime invadunt & erodunt; gangræna, paralytis, contractura, atrophia suboriuntur. Hæc in articulis contusis immaniter exacerbantur mala, acerrimi contorquent dolores, anchylosis vera aut spuria ineluctabilis.

CALVARIÆ contusiones periculosæ admodum, etiam osse integro & inconcussis partibus contentis, quod quidem periculum oritur, ut supra diximus, ex pericranii destructione, quam sequitur squammæ partis contusæ separatio diu expectanda, nisi methodo Bellostianâ caveatur. Periculosiores in quibus, fractis in diploë vasis, humores effusi corrumpuntur; sensum enim serpit latèquè dispergitur malum inter utramque tabulam; vitrea tenerior citius eroditur, meninges, cerebrumque ipsum inficiuntur. Periculosissimæ tandem in quibus à crânii fracturâ aut vehementi concussu, cerebri aut cerebelli fracta vasa, mortem subitam sæpè inferunt.

INFENSISSIMÆ, lethales, viscerum in cavo pectoris & abdominis reconditorum contusiones, quarum indicia à Causâ lædente, situ doloris, functionibus læsis, ab-exerctis & accidentibus potissimum deducuntur.

LUMBORUM aut potius hujus regionis medullæ collisionem sequuntur vesicæ, intestini recti resolutio, artuum inferiorum paralytis, coccygis, pedumquæ miserrima & immedicabilis gangræna.

GRAVIORUM contusionum concussus semper comes, qui non solum in parte contusâ hæret, verum sæpè cerebrum ipsum & consequenter totam machinam attingit, ut in extremitatum inferiorum contusionibus à tormentario globo illatis observatur.

Si valida sit commotio, statim adest partis stupor, quæ vitali humorum affluxu orbata, raro intumescit, contra verò, si minor sit concussus, humoribus in vasis stagnantibus brevi infarcitur.

CEREBRUM concussum indicant oris pallor, artuum debilitas, oculorum caligo, lapsus, vomitus, sensuum externorum hebetatio, functionum perturbatio, delirium, febris, aliaque ipsius capitis vulnerum propria symptomata, quorum iidem exitus, eadem remedia.

COGNITIS, secundum angustos nostræ thesæos fines, contusionum ab instrumentis bellicis inflictarum periculis & accidentibus, quid pro variis speciebus conferre queat Ars Chirurgica statuendum.

IN levioribus contusionibus tentanda resolutio, prosperè obtinenda, sanguinis missione, fomentis penetrantibus & resolventibus parti impositis & sedulò renovatis, inter quæ præ cæteris aquam sale communi saturatam laudamus, quâ sanguis extravasatus & conertus diluitur & bibularum venarum osculis refovetur. Expansio tumoris, color partis in flavum & viridescentem mutatus, dolorisque absentia, resolutionis signa.

SI magnâ sanguinis extravasati copiâ prodit tumor, à resolutione non speranda salus, effusis sectione detur exitus, benignâque suppuratione depuretur locus, alioquin ad putredinem vergunt, & suffocationem partis minitantur.

AUDACTER incisiones celebret Chirurgus ubi à contusione, per globulum tormentarium aut majorem glandem plumbeam, intactâ ferè cute, miram in molem pars intumuit & in eâ percipitur renitentia quædam cum strepitu subobscurò; locum sectionis molliorem & procliviorē si fieri possit eligat; aponevroses contractas in omni sensu solvere ne dubitet; carnes minutim concisas & laceratas tollat; contra aperturas pro re natâ instituat; setaceum injiciat; spiritum therebentinæ calidum infundendo, putredinem arceat.

AN periosteum & ossa contusione afficiantur adamussim perpendendum. Periosteum tumefactum, madidum, nec ossi cohærens secandum, os sæpè perforandum; medullæ corruptione ossibus extremitatum carie erosio, incassum tentatis idoneis remediis, si terebræ non detur locus, in amputatione unicum præsidium.

CAPITIS contusiones indiscriminatim aperiendas experientia docet, tum ut detegatur malum, tum ut præcaveantur accidentia. Cranium denudatum diversis punctis fodicandum, & si posset æstimari contusionis gradus, statim terebrandum, ne superius descripta ingruant symptomata, quæ etiam si leviter insurgant, propriis nostris observationibus, in morâ grave periculum autumamus.

7

PARUM conferunt artis auxilia in majoribus viscerum & medullæ contusionibus; si enim non subito lethales, post summas miseras lenta mors sequitur.

PARTIBUS à contusione stupefactis, raro profunt incisiones; in his nullus ferè calor, nullusque sensus superest ob suffocatum vitalem humorum motum, cardiacis, frictionibus calidis, fomentis & cataplasmatibus aromaticis & spirituosis revocandum.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE BAPTISTA-ANTONIO ANDOUILLE, Artium Liberalium Magistro, Scholarum Professore Regio & Præposito, Regis exercitus Nosocomiorumque Castreneum nuper, nunc Nosocomii Charitatis Parisiensis Chirurgo primario, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA LOUSTAUNAU, Versaliensis, in almâ Universitatē Parisiensi Liberalium Artium Magister.

de Versaille,

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Martis 24. Octobris à sesqui-secundâ post meridiem
ad Septimam. Anno Domini 1753.*

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREÆ

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1753.

